

wähnung macht“ keine Widerlegung mehr. Babo hatte eben sein Grab tief unter dem Boden, was die Emmeramer Überlieferung — *traditio monasterii* — festhielt, aber damals kein Denkmal über der Erde, weshalb Hund und Grienerwaldt keines beschreiben konnten.

Wir stehen am Ende. Der Versuch, die im Jahre 1894 aufgefundene Leiche für die des hl. Emmeram auszugeben, hat sich als eine aus Scheingründen und Entstellungen zusammengefügte „Dichtung“ erwiesen, „und man muß sich wundern“, äußert sich entrüstet Krusch (N. Arch., 29, 364), „wie es möglich war, ein solches Schauspiel noch am Ende des 19. Jahrhunderts aufzuführen.“ „Die neuentdeckte Confessio des hl. Emmeram“ verschwindet unter den Strahlen der Kritik. Aber die angegriffene Ehre der Emmeramer Benediktiner ist hergestellt. Ich schließe mit den Worten Webers:

„Preis den braven schwarzen Mönchen,  
Preis den wackern Kuttenträgern,  
Alles menschlich schönen Wissens  
Frommen Hüttern, treuen Pflegern!“

---

## Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I. 1906. pg. 31 38.)

### § III.

#### De Novitiis.

Novitii recipiebantur tantum in majoribus Coenobiis et cum licentia Rmi. Abbatis Generalis, qui illam minime concedere debebat si numerus monachorum, quem Monasterium sustentare valebat, impletus esset.<sup>1)</sup> Gravi poscente necessitate licebat cum eiusdem Generalis venia, suscipere Novitios in minoribus Domibus, aut Collegiis. (IV, 2.)

Tam Novitiorum Magister quam ejus Substitutus eligebantur in Consilio Seniorum et in praecipuis Abbatiis, quoad fieri posset, ex monachis titulo „Paternitatis“ fruentibus. (V, 1). Plena jurisdictione fruebantur ad Novitios puniendos, non vero ad eos

---

<sup>1)</sup> Post Constitutionem Benedicti XIV. »Nuper« statutum fuit ut distribuerentur per singulas Provincias qui habitum peterent ita ut aequalem Monachorum numerum haberent. Sed postea, hoc non obstante Capitulum Generale a. 1773, iterum decrevit ut susciperentur Novitii juxta facultates Monasteriorum. (Muñoz § I. n. 1. — § IV. n. 22.)

carcere muletandos. Porro poenitentias, quas Novitiis injunxerint in actibus conventualibus, nemo remittere poterat nisi qui tunc Communitati praesidebat (3). Nulli monacho, praeter seniores, licentiam ingrediendi in Novitiatum locum Magistro concedere licebat, qui si in hoc saepe delinqueret, ab officio removebatur. (7).

Venientes ad conversionem primum examini subiiciebantur a Praelato, deinde a Senioribus (IV, 5, 9). Si quis esset maior sexdecim annorum<sup>1)</sup> et linguam latinam nesciret, nec aptus ad illam discendam inveniretur, neque aliunde utilis Monasterio, illico dimittebatur. (6). Secus designabatur monachus qui canonicas informationes perageret ad tenorem Constitutionum (15), iuxta quas omnino excludendi erant; qui originem ducebant, aut ducere suspicabatur a Mauris, Iudaeis, haereticis et damnatis a Tribunali S. Inquisitionis, aut qui a quocumque alio tribunali publica infamia notati fuissent, vel abiectum vileque officium exercuissent; qui essent ex illegitimis parentibus, aut ad alium Ordinem pertinuissent, nisi a Capitulo Generali aut a Praeside Congregationis dispensatio adipisceretur, praesertim quoad nobiles ac iuvenes, qui ante vigesimum aetatis annum habitum alterius Ordinis deseruerant. (12, 21—31).

Informatione peracta et a testibus signata, mittebatur ad Consilium seniorum, quam cum probassent et in susceptione postulantis saltem major pars eorum consensisset, candidatus induebatur sancto habitu ab ipso Praelato in Capitulo iuxta Ceremoniale Congregationis. (33).<sup>2)</sup> Ipse Novitius scribebat in Registro seu „Libro Graduum“ formulam susceptionis (36). Saepe tunc nomen baptismi mutabat. Spatium Octo dierum ei concedebatur ad confessionem generalem cuicumque Sacerdoti peragendam, et usque dum illam non perfecisset, cum ceteris novitiis sacram Eucharistiam non suscipiebat (V, 4). Novitii communicabant iisdem diebus, quibus monachi non Sacerdotes (5). Tantummodo inserviebant Missae suorum Magistrorum (10).

Tempore probationis Novitii discabant recitationem divini Officii, Rubricas, Ceremonias atque consuetudines Congregationis, et memoriae mandabant Officium Parvum et Defunctorum, Psalmos Poenitentiales atque caput septimum Stae. Regulae. Exercitabantur

<sup>1)</sup> Valde notabile est quod advertimus in Registro Novitiorum Montisserrati. Ex 560 Monachis in eo inscriptis ab anno 1671 ad 1832, pauci suscepti sunt post annum vigesimum; decem a vigesimo quinto ad trigesimum; sex a trigesimo ad quadragesimum; duo post quadragesimum, et alii duo post quinquagesimum, ex quibus tamen nonnulli jam in Monasterio infantiam B. Mariae V. dicati transierant. Hanc consuetudinem in Congregatione vigere censemus ex eo quod Rmus. Generalis a. 1824 denegarit licentiam induendi duos postulantes pro Mrio. Guixolensi, quia majoris aetatis erant, tametsi paucos haberet monachos.

<sup>2)</sup> Ceremonial monástico, Part. 2, Sect. 3, cap. III, pag. 652—666.

unice in Oratione, lectione<sup>1)</sup> ac servitiis humilitatis et caritatis (5). Comedebant in ipso Novitiatu a quo tantum exhibant pro divino officio, aut gravi poscente necessitate semperque cum socio (6, 7). Ubi vero propter loci angustiam in refectorio comedere necesse erat, collocabantur cum suo Magistro in mensa a ceteris distincta, et tunc officium lectoris explebant non vero servitoris mensae (ibidem).

Nemini licebat cum eisdem colloqui, nisi senioribus Ceterorum qui delinquebat, tam ipse quam Novitius multabatur flagellatione publica et ieiunio in Refectorio, et praeterea monachus recludebatur in cella quindecim diebus: secunda vice duplicabatur poena; tertia vero Novitius dimissioni erat obnoxius, professus autem poenis in culpas graves indictis coerceretur (10). Prohibitum etiam erat Novitiis loqui cum secularibus (11) praecipue cum mulieribus, exceptis tantum matre ac sororibus, sed in praesentia Magistri aut Praelati (12), item scribere aut accipere epistolas absque licentia Superioris, qui eas legere tenebatur de verbo ad verbum. (13).

Durante probationis cursu Novitii ter aperiebant propositi sui mentem in Capitulo coram conventu Magister vero toties juramento declarabat coram Senioribus quidquid de unoquoque sentiret, maxime cum ad professionem erat admittendus (13—VI, 6). Superior nullum Novitium ad professionem admittere valebat, vel dimittere nisi consentientibus duobus partibus Seniorum, sub poena privationis ab officio per annum (VI, 2.) Si ergo aliquando Seniores ab eo dissentirent, res deferenda erat ad Abbatem Generalem, ejusque sententiae parendum. (3). Solemnitas professionis locum habebat in Ecclesia in Missa conventuali coram Abbate aut Priore ab eo delegato, et ante publicum Notarium qui fidem faceret (11). Postea eadem formula professionis<sup>2)</sup> scribebatur in speciali codice ab ipso professo, et signabatur a testibus et tabellario. (12).

#### § IV.

##### De Iunioribus.

Monachi noviter professi vocabantur „Juniores“ et subiiciebantur Magistro ab Abbate cum consilio Seniorum eligendo, cui

<sup>1)</sup> Ad informandum Novitios utebatur operibus Ludovici Blosii et »Exercitatorio« Cisnerii. (Ceremonial, p. 668. — Argerich »Vida de Fr. Iose de S. Benito«, p. 217.)

<sup>2)</sup> Erat ut sequitur: »Ego frater N. promitto stabilitatem meam perpetuae inclusionis, et Conversionem morum meorum et Obedientiam coram Deo et Sanctis ejus, secundum Regulam Sanctissimi Patris Nostri Benedicti in hoc Monasterio N. Ordinis eiusdem Sancti, in praesentia Reverendi admodum Patris Fratris N. eiusdem Monasterii Abbatis et sub obedientia Reverendissimi Patris Magistri Fratris N. totius Congregationis Generalis.« Cf. Ceremonial. pag. 680. et »Processionarium monastic. edit. Matrit. 1736. pag. 240.

alius monachus Sacerdos veluti coadiutor concedebatur (VII, 1, 2).<sup>1)</sup> Uterque erat illorum Confessarius Ipsorum cura erat supplere quae Juniores in Novitiatu ediscere non potuissent, praesertim quae ad recitationem divini officii et cantum Ecclesiasticum pertinebant (3), quod si Magistri facere non poterant per alios Monachos a Praelato designandos adimplebatur (12, 13).

Jurisdictio Magistri in Juniores extendebatur ad illa omnia quibus Prior pollebat in reliquos Monachos (4). Capitulum culparum congregabat, sed non diebus, quibus Praelatus Capitulum hujusmodi habuisset (6). Neque fas illi erat castigare Juniores in actibus conventualibus, sine in refectorio (ibi), nec officium aliquod eis imponere, aut ab iniuncto per Superiores ipsos removere (9).

Juniores colloqui nequibant cum Senioribus, neque cum secularibus sine Abbatis venia et praesente ipsorum Magistro, aut Priore, aut aliquo Seniore, praeterquam dum loquebantur cum parentibus et fratribus (14). Non licebat eis epistolas scribere, aut recipere absque licentia, sub poena unius mensis carceris et flagellationis publicae duobus feriis VI, atque ieiunii pane et aqua in refectorio; qua poena multabantur quoque officiales, aut alii per quos huiusmodi litterae transissent (16). Iisdem legibus subiiciebantur ceteri monachi nondum duodecim habitus annos habentes. (15).

Omnes Juniores et monachi nondum Sacerdotio initiati confessionem Sacramentalem peragere debebant saltem singulis Dominicis, itemque Sacram Communionem suscipere, pariterque in festivitibus B. Mariae V. in Transitu et Translatione SS. P. N. Benedicti, in festis Stae. Scholasticae, S. Gregorii Magni, Stae. Gertrudis, aliisque in Ceremoniale praescriptis. Qui contrafaciebat toties quoties absque remissione multabatur ieiunio panis et aquae in refectorio (11).

Juniores nondum clerici, transacto anno a professione usque ad sacros ordines minores ab Abbate promovebantur. Priusquam vero mitterentur ad Episcopum ad recipiendum ordines maiores, subiiciebantur examini Seniorum, et nonnisi consentientibus duobus horum partibus promoveri poterant, sub poena privationis officii per annum in Abbatem, per quadriennium vero in Priorem aut Praesidem Coenobii. Coeterum, nullus monachus initiandus erat Sacerdotio ante vigesimum aetatis annum, professionis vero saltem tertium. (18).

Expleto septennio a professione, Juniores a disciplina exhibant, et inter Monachos transferebantur. (19.)

---

<sup>1)</sup> Consist. antiq. cap. 42. — Ceremonial. Part. 2, Sect. 3, cap. 6.

§ V.

De votis.

Etsi plura statuuntur in Constitutionibus quoad votorum observantiam, tamen extant duo capita in hoc libro 2., unum circa votum paupertatis, alterum pertractans de voto perpetuae inclusionis. De his singillatim loquemur colligentes simul quae in reliquis capitibus sparsim habentur.

I. De voto paupertatis.

Ad vitandum proprietatis vitium omnes Monachi et Conversi quotannis tempore Quadragesimae inventarium cunctarum rerum, quae ad usum tam pro se quam suis officiis concessae fuissent, Praelato tradituri erant (XVI, 1.)<sup>1)</sup> Si hic quidquam superfluum, aut statui monastico alienum inveniret, tollere tenebatur, sicut etiam providere necessarium indigentibus (XXVIII, 15). Hac de causa Superior visitabat semel saltem in anno omnes cellas (ibi), quarum aditus die noctuque ei patens erat quin liceret illas claudere, secus omne oclusionis genus auferebatur. (XXIX, 1.) quod ut non eveniret communiter portae claudebantur pessulis tantum (3). Coeterum, praeter Abbatem, Priorem, aut illum cui licentiam ipsi concederent, nemini umquam licebat ingredi cellas monachorum sub gravibus poenis (4).

Prohibitum erat monachis habere in cellis supellectilia auri vel argenti, praeter Reliquiarum thecas quae tamen valorem centum regalium („reales“) non excederent. (XIV, 1, XXIX, 12). Pariter prohibita erant stragula aulaeis ornata, picturae profanae, scrinia pretiosa et alia profanitatem redolentia, sicuti vestes pretiosae atque profanae praecipue ex serico confectae, manutergia, sudaria et cetera huiusmodi. (ibi, XXVIII, 15). Quidquid indigeretur in cellis a custode vestuarii providendum erat. (XXIX, 10).

Omnes tam Superiores quam subditi uniformiter vestire tenebantur eadem panni qualitate, eodemque colore nigro.<sup>2)</sup> Quapropter Abbatibus praecipiebatur ut a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini singulis monachis aliqua vestimenti parte providerent, nisi ea omnino non indigerent (XXVIII, 16-22, 25.) Non erat danda pecunia pro vestimento nisi ex licentia Rmi. Generalis ad petitionem Seniorum Monasterii, et cum prohibitione expendendi eam in aliis rebus (26). Ut autem constaret unumquemque accepisse statuto tempore praescriptam vestimenti partem, monachus scribebat in Libro adhoc quidquid acceperat, hicque liber tempore visitationis Abbati Generali exhibebatur (32). Juni-

<sup>1)</sup> Constit. antiq. cap. 34.

<sup>2)</sup> Usque ad an. 1550 Vallisletani utebantur tunicis fusci coloris. — Yepes III, 195 v.

oribus Monachis dabatur vestimentum, aut pars eiusdem quoties eo indigerent (23.) Monachi vero depositum habentes quod ultra ducentum ducata excederet, ex eo indumentum ac calceamenta sibi comparare debebant. (28).

Juxta Decreta Capitulum Generalium a. 1649—61 licebat Monachis huius Congregationis Depositum habere (XIV, 7),<sup>1)</sup> non autem pecuniae ad usum acceptae depositarios esse (3), neque illam seu alia quaecumque suppellectilia apud alium quam Monachum depositarium reponere (5), neque retinere apud se aliamve personam aurum, argentum absque Abbatis vel Praesidis licentia (6). Si quis Superior aliquam pecuniae summam ex hoc Monachorum deposito acceperat ad levandas necessitates Monasterii post duos menses illam devoluturus erat, secus a Capitulo Generali excluderetur. (4).

## II. De perpetua inclusione.

Nullus in Congregatione suscipiendus erat quin se vellet expresse obstringere voto perpetuae inclusionis, secus professio erat nulla, et Superior plectebatur poenis ab Innocentio VIII. statutis (XV, 1, 2).<sup>2)</sup> Abbatibus vero licebat concedere licentiam exeundi a Monasterio iustis de causis, et dummodo eadem die monachi domum reverterent (3); itemque bis in anno pro triduo aut quadriduo ad distantiam trium quatuorve leucarum. Ultra hoc spatium requirebatur consensus Seniorum et licentia Rmi. Generalis, a qua lege excipiebantur Praedicatores et Magistri Generales, ceterique Capitulares et qui in Monasterio fuisset Abbates, quibus sufficiebat licentia Praelati sub quo degebant (4). Nulli danda era licentia exeundi a Monasterio nec recreationis causa, nisi post triennium a professione; neque ad visitandos parentes nisi post octennium gravi tamen de causa et cum venia in scriptis Rmi. Generalis (5), quae similiter requirebatur ad egrediendum extra limites Hispaniae (6), secus qui contrafecisset, puniendus erat ut fugitivus (ibi). Tam exeuntes quam redeuntes benedictionem Superioris genuflectentes accipiebant (14).

Abbates a Monasterio elongari nequibant ultra viginti leucas nisi cum licentia Rmi. Generalis in scriptis danda praeter quam ad visitanda loca Monasterio adnexa (8). Urgente tamen necessitate, sufficiebat consensus Seniorum Coenobii, dummodo Abbatem Generalem certiore redderent (ibi). Absentia non protendebatur ultra quindecim dies (9), tempore Adventus et Quadragesimae

<sup>1)</sup> De hoc expresse pertractat P. Uria (Benedictus), O. S. B., in opere «Instrucción monástica» Conferencia X, pag. 45—53. edic. Madrid 1785, ubi adducit rationes pro Deposito seu peculio certis tamen conditionibus, quas ibi exprimit. — Semper tamen et ubique perniciosum fuit, ut experientia testatur.

<sup>2)</sup> Privilegia pag. 126. — Constit. antiq. cap. 35.

prohibebatur exire nisi ad prandium revertere possent (10); et in Monasteriis viginti monachos habentibus semper socium deferre tenebantur (11).

Voto perpetuae inclusionis non obstante, Abbas Generalis facultate pollebat transferendi monachos atque dispertiendi per Monasteria prout necessitas postularet (XVII, 1, 2); et ipsi monachi ab uno ad aliud monasterium transire poterant consentientibus utriusque Praelatis et Abbate Generali (3), non vero ad monasteria Matritensia, nisi post quindecim annos in religione laudabiliter expletos (10). Qui Matritum pergerent iusum erat ut intrarent equitando mulis (pariterque qui transirent ad Vallisoletum et Hispalim) et similiter incederent per vias Burgorum, Legionis, Naiarae et Zamorae (XV, 12).

Qui votum inclusionis transgressus fuisset, gravissimis poenis coercebatur; Superiores, vero, qui statuta Congregationis ad illud pertinentia violarent, poena privationis ab officio per annum, aut ad libitum Abbatis Generalis, iuxta culpae gravitatem (XVI, 2; XV, 4). Monachus qui e monasterio egrederetur, etiamsi animo ad aliud transeundi, vel accedendi ad Abbatem Generalem, et licet ab eo vocatus, sine venia Praelati, velut fugitivus puniebatur (XVI, 13). Qui die clausuram frangeret, poenis in graves culpas impositis erat coercendus (2); qui autem nocte, per quadriennium voce activa et pasiva privandus, et per sex menses in claustris includendus (3); quae poenae aggravandae erant si iterum aut tertio clausuram violasset (4, 5); et si adhuc non emendaret, licet sponte domum reversisset, ut fugitivus erat recipiendus, poenasque in gravissimas culpas latas subire tenebatur in ultimo gradu Conventus (6), in quo per triennium poenitentiam agere debebat si extra Monasterium apprehensus fuisset (7), quod si post octiduum eveniret, vocem ac gradum in perpetuum amittebat (8), et tandem ut incorregibilis censebatur, et causa in Capitulo Generali definienda erat (9).

Cum autem contingeret aliquem, ut huiusmodi poenas vitaret, ad alium Ordinem transire velle, non erat illi concedenda facultas nisi postquam illas huiusmodi poenas, et Superiores Ordinis ad quod confugerant, consensissent: et tunc habitu monastico adhuc indutus illuc erat conducendus (15), et postea quam maxime cavendum ne ullus monachus cum ipso loqueretur; quod etiam servabatur relate ad illos qui a Congregatione dimissi fuerant (16).

Nulli Superiori aut subdito fas erat introducere intra septa Monasterii, neque aditum patefacere ulli mulieri, praeter personas Regias, sub poena privationis et perpetuae inhabilitatis quoad Praelatos, quoad subditos vero sub poenis in gravissimas culpas iniunctis (18).

Ad portam Monasterii ponebatur monachus in consilio Seniorum designatus, cui in potioribus Coenobiis concedebatur socius Conversus.<sup>1)</sup> (XXXII, 1). Accipiebat claves mane a Praelato, cui reddebat eas nocte; item ostium claudere tenebatur tempore actuum Conventualium, et tunc deferebat claves ad Chorum vel Refectorium (2). Item pertinebat ad Ostiarium distribuere quotidie pauperibus consuetam eleemosynam (3).

§ VI.

De exercitiis quotidianis.<sup>2)</sup>

Omnes Monachi et Moniales Congregationis in recitatione divini officii tam publice quam private uti debebant Breviario monastico a Paulo V. approbato pro omnibus militantibus sub Regula SS. P. Benedicti (X, 2); pro ceremoniis vero et consuetudinibus sequendum erat Ceremoniale Congregationis iussu Capituli Generalis a. 1637 edito (3).

In omnibus Monasteriis et locis Congregationis quae saltem duodecim haberent monachos, incipiendum erat Matutinum media nocte, in choro vel in loco adhoc opportuno, prout Abbas Generalis disponderet (4), excepto die Natalis Domini et tribus Hebdomadae maioris (8), necnon die Corporis Christi totaque Octava (25), quibus speciali solemnitate celebrabatur. In minoribus Coenobiis anticipari licebat matutinum (5), sed in Choro recitandum erat (6) etiamsi tantum duo monachi adessent (7).

Prima dicebatur mane hora sexta (9) cum cantu quando Coenobium constabat sex monachis (16), sicut etiam Vesperae (21), secus hae a Capitulo tantum canebantur. Ubi vero debebant 12 monachi, omnes Horae diurnae cum cantu celebrabantur (18); Missa Conventualis et Completorium semper et ubique, etsi tantum duo monachi adessent (19, 22). Juxta antiquam consuetudinem omnes extra chorum recitabant Officium B. Mariae V., exceptis diebus in Rubrica praescriptis (24).

Quotidie ante Primam Cellerarius aut Sacrista celebrabat Missam cui assistebant Conversi et Domestici (15). Post Primam in maioribus Coenobiis canebatur Missa B. Mariae V.; cuius loco feria II. in quibusdam Monasteriis celebrabatur Missa Defunctorum (17).

Item quotidie, finita Prima, legebatur in Capitulo Sancta Regula, ibique fiebat commemoratio Defunctorum (XI, 6), atque audiebantur culpaе bis in hebdomada in Coenobiis maioribus, scil. feria II. et VI.; in minoribus autem semel, feria VI, aut alia die (7). Dominicis aperiebant monachi Praelato suam conscientiam iuxta cap. VII. Sanctae Regulae (8).

<sup>1)</sup> Ceremonial. Part. 2. Sect. I. cap. 11.

<sup>2)</sup> Constit. antiq. Capp. 37, 38, 46.

Singulis diebus monachi ter orationi vacabant, scilicet post Laudes per horae quadrantem, post Primam per horae dimidium, et post Completorium iterum per quadrantem (2, 5.) Ante Completorium habebatur lectio spiritualis in Capitulo, diebus vero ieiunii ante Collationem in Refectorio (10). Ab Epiphania usque ad caput Quadragesimae, et ab Octava Corporis Christi, singulis feriis sextis, nisi aliqua festivitas incideret, fiebat conventualiter flagellatio seu disciplina; tempore Adventus et Quadragesimae addebantur feriae II. et IV; feria autem VI. Hebdomadae maioris accipiebatur, quod vocabant, „juicio en carnes“ in memoriam Passionis D. N. Jesu Christi (11).

Jeiunia regularia servabantur ab idibus Septembris usque ad Pascha exceptis festivitibus SS. Apostolorum extra Adventum et Quadragesimam occurrentibus, item festis omnium SS. Ecclesiae et O. N., Natalis Domini, Circumcessionis Epiphaniae ac Purificationis (XXVII, 4). Feria VI. Hebdomadae maioris omni cibo praeter panem et aquam abstinebant<sup>1)</sup> (6).

Attenta infirma multorum validudine ob inclusionem, ne Monasteria duplex Refectorium sustinere deberent, concessum est eis comedere carnes iisdem diebus quibus fideles; tamen per constitutiones decretum fuit ut hac concessione uteretur diebus dominicis et feria II, III et V extra Adventum et Quadragesimam (XXVII, 1) et demptis vigiliis D. N. Jesu Christi, B. Mariae V. et Translationis S. P. Benedicti, in quibus praeterea ieiunandum erat (5).

Portio panis et vini dabatur iuxta cuiusque necessitatem, non tamen minoribus viginti annorum (7), cetera omnia pondere ac mensura in Constitutionibus statuta (8—16). A Pascha usque ad Septembrem prandebant hora undecima a. m.; diebus vero ieiunii omni tempore hora decima et dimidia ante meridiem (X, 10). Coenam aut Collationem sumebant semper hora quinta p. m.

Post meridiem singulis diebus honeste recreationi animam tradere licebat excepto tempore Quadragesimae in quo absolutum servabatur silentium (9). Praeterea quotannis omnibus monachis concedebatur quarto quoque mense extraordinaria animi relaxatio per hebdomadam in aliquo Prioratu seu loco Monasterii (XXXIII, 1).<sup>2)</sup> Illuc pergebant Dominica post prandium, et domum revertebant sabbato sequenti ante coenam (5). Non licebat alio diversari, et

<sup>1)</sup> Haec poenitentia commutata fuit a. 1781 in Capitulo Generali, et eius loco omnes conventualiter meditationi Passionis Domini intendere tenebantur finientes recitatione Ps. »Miserere«. (Trasunto n. 8.)

<sup>2)</sup> Capitulum Generale a. 1725 sancivit et confirmatum fuit in Capitulis a. 1741—45 ut qui praetextu recreationis exiret ad huiusmodi Prioratus, et inde ad aliud locum pergeret puniretur poenis contra frangentes clausuram latis. (Muñoz, § IV. n. 10.)

in ipso Prioratu aut domo quamdam clausuram servabant (3). Tam ibi, quam in Monasterio aut quocumque alio loco prohibebantur ludi monasticae gravitati et honestati contrarii, aut minus convenientes, vana spectacula, omnesque habitus transformationes, atque comoediae, sub poena privationis vocis activae et pasivae ad quadriennium, duorumque mensium carceris (8—10). Sub eadem poena prohibitum erat assistere aut conspiciere comoedias aut spectacula profana per fenestras Monasterii, atque taurorum agitationem in circo (9).

## § VII.

### De fratribus infirmis et defunctis.

#### I. De cura infirmorum.

Ante omnia et super omnia, ut S. P. Benedictus in Regula iubet fratrum infirmorum maxima cura in omnibus Monasteriis adhibenda erat (XXX, 1)<sup>1)</sup>; ideo unumquodque habebat valetudinarium (2) et medicum aut chirurgum ad salutem monachorum et hospitem procurandam (4). Abbatis et Cellerarii praecipue erat visitare quotidie infirmos ut viderent an quae medicus praecipiebat, accurate adimplerentur, aut quidquam deesset infirmis (3). Etiam monachis concedebatur ipsos frequenter invisere, exceptis horis silentii absoluti, et cum infirmi medebantur (6—XXIX, 7).

Praeceptum erat Magistris tam Novitiorum quam Juniorum exercitare assidue alumnos suos in valetudinario serviendo aegrotis ut in operibus charitatis et humilitatis proficerent (7). Praeterea, quoties opus erat cum facultate Superioris concedebatur infirmis iunior monachus, aut frater conversus pro eius servitio non autem famulus secularis, nisi in extrema necessitate accedente venia Rmi. Abbatis Generalis (XXIX, 8).<sup>2)</sup>

#### II. De suffragiis Defunctorum.

Cum aliquis monachus vitae cursum implebat, celebrabatur pro eius requie Missa sollemnis, si fieri poterat, et postea quam primum tres aliae (XII, 5),<sup>3)</sup> atque per spatium novem dierum Conventus post Missam et Vesperas pergebat ad locum sepulchri recitando Ps. „Miserere“, aut „De Profundis“, ibique Responsorium canebatur.<sup>4)</sup> Nona die iterum celebrabatur sollemnis Missa Conventualis et pariter in anniversario defunctionis (6).

<sup>1)</sup> Constit. antiq. cap. 47.

<sup>2)</sup> Cetera fusius habentur in Ceremoniali, Part. 2, Sectione VI, cap. 1—3.

<sup>3)</sup> Constit. antiq. cap. 39. Ceremonial, loc. cit. cap. 4 et 5.

<sup>4)</sup> Ceremonial, Part. 1, Sect. 5, cap. 21, pag. 451. — Processionarium, pag. 364.

Praeterea Sacerdotes monasterii offerebant septem Missas, ceteri monachi recitabant ter Psalterium, fratres vero Conversi pariter Rosarium (7). Pro Conversis dicebantur tres Missae a singulis Sacerdotibus, Clerici semel recitabant Psalterium, eius autem confratres septies Rosarium (9).

Ut primum aliquis Religiosorum spiritum Deo redderet. Superior nuntiare illud tenebatur Rmo. Abbati Generali ut hic congruo tempore praeciperet suffragia in Coenobiis Congregationis (2). Mos erat ut bis in anno, quando Secretarius Congregationis mittebat Superioribus taxas suis Monasteriis impositas, adderet quoque nomina fratrum defunctorum, quod cum acceptum esset, celebranda erat Missa sollemnis pro omnibus, et deinde pro singulis offerebatur Missa privata (10). Insuper tempore Capituli Generalis, supradictus Secretarius conficiebat Catalogum omnium fratrum qui ab ultimo Capitulo decesserant, quem tradebat novis Abbatibus, ut cum ad Domos sibi commissas pervenirent, solemni ter celebraretur officium et Missa pro eorum requie (ibidem).<sup>1)</sup>

Pro Abbatibus Generalibus, etiam a regimine absolutis, vel ad alias dignitates extra Congregationem assumptis, celebranda erat in singulis Coenobiis Missa sollemnis cum praevio Nocturno, et cuncti Sacerdotes offerebant tres Missas, alii monachi et moniales ter recitabant officium Defunctorum, Conversi vero et Conversae Rosarium B. Mariae V., et in domo suae professionis fiebant suffragia pro monachis praescripta (3). Pro ceteris Abbatibus, praeter consueta suffragia, celebrabatur solemne funus in omnibus Monasteriis quorum regimen habuissent (4).

Pro parentibus et fratribus religiosorum singuli Sacerdotes semel Missam offerebant, Clerici recitabant officium Defunctorum, Conversi Rosarium integrum (17), et quotannis post Commemorationem Defunctorum Ordinis nostri, die sequenti, fiebat officium de Requie pro illis (18).<sup>2)</sup> Praeterea semel in mense canebatur Missa Defunctorum pro omnibus fratribus, propinquis et benefactoribus cum processione post illam per Claustra (13), quae processio fiebat bis in hebdomada scilicet, feria VI. post Vesperas, et Sabbato post Missa Conventualem (14).<sup>3)</sup>

Die XXV Januarii celebrabatur in omnibus Monasteriis solemne Anniversarium pro requie Regum Catholicorum Ferdinandi V. et Elisabeth I., praecipuorum huius Congregationis benefactorum (15); item die 1. Junii aliud pro Paulo V., Regibus Catholicis ac Dominis Cardinalibus ceterisque Principibus qui in

<sup>1)</sup> Ceremonial, pag. 460.

<sup>2)</sup> Ceremonial, cap. 22, pag. 457.

<sup>3)</sup> Ceremonial, loc. cit. pag. 459.

causa nominationis Abbatis Generalis definienda et paccanda interfuerunt (16).<sup>1)</sup>

Denique semel in hebdomada (ordinarie feria II), applicanda erat Missa matutina pro omnibus Animabus Purgatorii, quae Missa in nonnullis Monasteriis solemniter cantare solebant (19).

### III. De spolio defunctorum.

Sepulto monacho, Superior cum duobus monachis a Senioribus selectis, facere tenebatur inventarium omnium rerum quae frater defunctus reliquisset, tam suppellectilium quam vestium (XIII, 1), quae omnia pertinebant ad Monasterium in quo promissionem emiserat (6). Aestimato, ergo, valore omnium huiusmodi rerum; additoque quidquid monachus tempore professionis Monasterio donasset, et redditibus quae forte postea obvenissent, ante alia satisfacienda erant debita, si quae haberet, aut ex eius deposito, seu peculio, aut ex suppellectilium valore (4), secus a Monasterio suae professionis aut ab eo in quo decesserat iuxta quod uterque ab illò accepisset (13), et quod superesset in Missarum celebratione pro eius requie spendendum erat (14, 15).

Libri defuncti pertinebant ad Monasterium suae professionis et si iam eadem exemplaria in Bibliotheca invenirentur, licebat eos venundare ad alia volumina emenda, vel inter monachos distribuere (7). Vestes et alia huiusmodi reponebantur in valetudinario aut alio loco, vel distribuebantur inter infirmos aut alios qui propterea Missas vel officia in favorem defuncti, iuxta valorem rerum quas accepissent, offerre satagebant (9).

Imagine aliaque huius generis suppellectilia ad Sacristiam vel Ecclesiam deferenda erant (10). Licebat tamen Superiori Coenobii in quo frater defunctus erat, suscipere ad usum suppellectile quod ei placeret, dummodo valorem quinquaginta ducatorum non excederet, nec ad debita solvenda eo indigeretur, neque Monasterium suum illud reclamaret (17).

---

<sup>1)</sup> Ceremonial, pag. 456.